



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

Sectio IV. De ludicibus, à quibus, & ad quos appellari potest, vel non potest.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

quo appellatum fuit, executionem inhibeat) ita ut Iudex à quo, non deferens tali appellationi, quantumvis probabili, non puniatur, nec attentata post talem appellationem revocentur à Iudice ad quem per viam nullitatis, licet possint revocari per viam querelæ.

Potest autem causas cum hac clausula, *appellatione remotâ*: committere solus Pontifex, tanquam Iudex supremus in causis Ecclesiasticis: in causis verò profanis & inter Laicos solus Imperator, aut alius Iudex, qui superiorem in temporibus non agnoscit. *c. super questionem. 27. §. si verò. de offic. Iud. deleg.* (neque enim inferior jus superioris, ad quem appellari potest, tollere potest) & clausula hæc in rescripto, plures articulos continente, qui à se invicem dependent, si ab uno eorum removeatur appellatio, etiam in aliis ejusdem rescripti articulis non concessa censetur, cum ad causam principalem, quæ committitur *appellatione remotâ*: omnes eodem modo se habeant. *c. secundò requirès. 41. h. t.* quòd si verò plura diversa negotia seu causæ non connexæ in eodem rescripto ponantur, attendi debet, ubi ponatur clausula *appellatione remotâ*, ita ut ad omnia antecedentia extendi quidem possit, non autem ad consequentia, odiosæ enim restrictiones, ad sequentia se ordinariè non extendunt, nisi connexa sint hæc consequentia cum accedentibus. *6. Inquisitioni. 71. b. t.*

## S E C T I O IV.

## De Iudicibus, à quibus, &amp; ad quos appellari potest, vel non potest.

## §. I.

## A quibus Iudicibus appellari potest, vel non?

**A**ppellari regulariter potest per se à omni Iudice, qui sententiam tulit, sive ordinarius, sive delegatus fuerit, etiam si communi consensu partium Iudicis talis imperatus fuerit, prout sumitur ex *Causam 14. de sentent. & re judic. non pro-* rogaverint in se Iudicis alius nec in jurisdictionem, cum in tali casu voluerit quidem approbasse sententiam, non tamen sententiam, contra quam iudicis defensionis remedium sibi licet invenerunt. Intelligi tamen hoc debet de appellatione à quovis Iudice per se cità dictum, quòd appellari scilicet quolibet possit, nisi nullum ille superiorem, in ordine ad sibi competentem jurisdictionem, habeat. *Can. Ipsi sumus. & Can. Cuncta 17. causa. 9. q. 3. C. de* sententia enim appellationis est, ut sit Superiorum, ergo ubi non est Superiorum locum habere non potest appellatio, nisi Iudex non sit, sed merus Executor tantum, ut Arbitrator compromissarius, respectu horum nullam jurisdictionem habentium nulla possit fieri jurisdictionis suspensio, sicuti tamen fieri solet per appellationem propriè dictam.

§. II.

Coram quo Iudice sit appellandum.

Appellatio ut valida sit, & effectum, tam suspensivum quam devolutivum habeat, ordinarie interponi debet coram Iudice, qui sententiam tulit, & a quo appellatur, *Glossa in c. Appellatio. 9. F. Iudici. h. t. in 6.* ita ut si plures Iudices simul sententiam protulerunt, coram omnibus simul congregatis appellatio fieri debeat; vel si non omnes, aut nullus Iudex a quo haberi possit, coram quo appellatio fieret, tum fieri ea debet coram Iudice ad quem, & Iudici a quo intimari, aut si neque hujus copia haberi possit, coram viris honestis, vel etiam uno honesto, adhibitis testibus, vel coram Notario, qui testibus adhibitis instrumentum hac super re, quod appellatio scilicet fuerit interposita, conficiat. Sufficit etiam nonnunquam, si gravi metu quis impediatur ab appellatione, protestari coram Iudice, vel si coram hoc non possit, coram viris honestis, quod ob gravamen tale appellare vellet, nisi prohiberetur, expressis etiam causis appellationis, (saltem in genere) tum enim Perinde haberi debet, ac si appellasset, si intra decem dies a lata sententia protestationem talem interposuit, prout dicitur, *in c. Iustus. 73. h. t.*

§. III.

Ad quem Iudicem sit appellandum?

Gradatim regulariter fieri debet appellatio ad proximum semper & immediatum illius, a quo appellatur, su-

petiorem, non autem, omisso medio, ad remotum & mediatum. *c. Dilecti 66. h. t.* ne Iudex intermedius contemptus esse videatur cum confusione jurisdictionum; non est tamen de jure Canonico nulla appellatio, quæ omisso medio seu proximo, ad mediatum & remotum superiorem facta est, sed valet, si pars adversa nihil opponat, quia ut sic censetur pars nihil opponens consentire in mediatum, & hujus in se jurisdictionem prorogare. Imo sunt plures casus, in quibus ob speciales rationes licet ad mediatum superiorem, omisso proximo, appellari possit. Sic primò licet de jure Canonico a quolibet inferiore Iudice in causis Ecclesiasticis immediatè appellare ad Summum Pontificem, ob prerogativam Sedis Apostolicæ, cum omnibus inferioribus Iudicibus concurrentem, nisi appelletur a subdelegato delegati Pontificii, cum enim in tali casu delegatus Papæ repræsentet Papam, consequenter ab hujus subdelegato non immediatè ad Papam, sed ad delegatum Papæ subdelegantem, si jurisdictionem aliquam subdelegando sibi reservarit, appellari debet. Secundò ad Legatum Papæ immediatè appellari potest, omnis intermedii Iudicibus, Episcopis, Archiepiscopis &c. *argu. c. 2. de offic. Legat.* Tertio si consuetudo præscripta habeat ad remotum immediatè appellari. *c. Romana 3. h. t. in 6.* Quarto si proximus deneger palam justitiam, aut aliàs sit inhabilis, vel si Iudex inferior & medius sponte ad mediatum causam remittat. Quintò si Episcopus litiget cum suo subdito in casu electorum Arbitrorum, a quibus non ad alium, quam ad Papam sit appellatio &c. & quamvis

In e. referente. 7. de Prabendis ubi Presbyter quidam ab Archidiacono ad Archiepiscopum appellavit, omisso medio, Episcopo scilicet, appellatio fuerit admittenda, fuit tamen hoc factum in casu, ubi Archidiaconus privativè excluso Episcopo jurisdictionem habuit, ita ut ad hunc casum non Episcopus, sed Archiepiscopus immediatus hujus Archidiaconi superior fuerit; prout etiam à generali Episcopi Vicario, non ad Episcopum, cujus unà cum suo Vicario idem tribunal est, sed ad Archiepiscopum appellari debet, & à sententia Iudicis delegati, ad delegantem vel ejus successorem, si aliquid jurisdictionis hic sibi reservavit, appellari debet, prout ex tit. L. 1. De officio Iud. deleg. jam patet.

## §. IV.

Proponuntur alia quadam quaestiones circa Iudices, ad quos est appellandum.

PRImò quaeritur, quid juris sit, si uterque litigantium appellet ad diversos Iudices. 2. Teneri quidem, si super eodem negotio pars utraque litigans ad diversos Iudices appellavit, comparere coram Iudice appellationis inferioris immediatè, qui ad superiorem mediatum appellavit, si citerat ab inferiore & suam appellationem allegare. c. Si duobus 7. h. t. (ne ordinariam immediati Iudicis potestatem contemnere videatur) non posse tamen hunc contra eum, qui ad Superiorem appellavit, procedere, quia jurisdictionis Superioris absorbet jurisdictionem inferioris. Sunt tamen, qui putent, capituli illius decisionem tantum procedere in illo casu, in quo licet, omisso medio

inferiore, ad Iudicem superiorem mediatum appellare.

Secundò quaeritur, an à Iudice seculari appellari possit ad Ecclesiasticum, saltem ad Papam? 3. Valere appellationem à Iudice seculari, ad Papam, si ille sit subiectus temporali jurisdictioni Ecclesiae Romanae, non autem valere (spectato jure communi, quod sit de consuetudine) si jurisdictionis temporali Papae talis Iudex à quo, subiectus non sit. *juxta cit. c. Si duobus 8. de appellationibus.* Neque enim in causis Laicorum temporalibus jurisdictionem habet Papa, sed temporalis hujus jurisdictioni illi subiectus fiat. Quòd si autem non valeat in talibus casibus appellatio ad Papam, minus valebit ad alium Iudicem Ecclesiasticum.

Tertiò quaeritur, ad quem appellandum sit à collatione beneficii facta communiter ab Episcopo & Capitulo. Non posse quidem fieri appellationem ad Episcopum, si collationi talis committitur, ut Episcopus, posse tamen ad eum appellationem, si collationi interveniebat ut Canonicus, *juxta collatione 11. in 6. h. t.* Illud quidem non potest, ne ad eundem, qui appellavit, appellatio debeat esse ad Superiorem. Hoc fieri potest, cum ut sic non debeat Episcopus actum hunc gessisse, sed Capitulum, ergo ad Superiorem fit appellatio, si in tali casu à Capitulo ad Episcopum appelletur. Praesumitur autem, quod Episcopus tali collatione intervenisse, nisi probari possit contrarium sit contrarium.